

G.37. num. 41. Bl. 42.

20

15

REMEDIVM INDEMNITATIS
S E P A R A T I O
AD L. 2 COD. DE BON.
AVCT. IVD. POSSID.

1720, 8.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO

D N. F R I D E R I C O II
HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA

PRAESIDE

AEMIL. LVD. HOMBERGK ZV VACH
IVR. DOCT. ET PROF. ORDIN. SERENISSIMIS HASSIAE LANDGRAVIS
IN IUDICIO AVLICO A CONSILIIS H. T. PROMOTORE

VT ADITVM SIBI

AD SVMLOS IN VTROQVE IVRE HONORES

APERIRET


PUBLICO ACADEMIAE PROCERVUM
EXAMINI SUBIECIT

AD D. V APRILIS CICLOCCCLXX

AVCTOR

DIONYSIUS RATIEN
BREMA - SAXO.

MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.




REHMEN INDEMNITAT
GEGEN ALLE FÄLLE
UND DAS GEGEN DIE GOETHE
SCHREIBER UND DRUCKER
RECHTSGESETZ
SÄSSIGKEITEN UND GEGENSTÄNDTE
DIN HABEN GESETZ
VON 1715
VERMITTLUNG SCHWEIGER & VACHT
AD 27. NOVEMBER 1800
DIE HÖRIGKEIT
DIE HÖRIGKEIT
DIE HÖRIGKEIT
DIE HÖRIGKEIT
DIE HÖRIGKEIT
DIE HÖRIGKEIT

LIBERAE S. R. I. T. A.
REIPVBLICAE BREMENSIS
SENATI
AMPLISSIMO SPLENDIDISSIMO
PERILLVSTRIBVS DOMINIS
VIRIS MAGNIFICIS
EXCELLENTISSIMIS CONSVLTISSIMISQUE
PRAESIDI
CONSVLIBVS
SYNDICO
AC
SENATORIBVS



PATRIBVS PATRIA E
LIBERTATIS RELIGIONIS IVSTITIAE
DEFENSORIBVS VIGILANTISSIMIS
MVSARVM TVTORIBVS OPTIMIS MAXIMIS
PATRONIS AC FAVTORIBVS
SVIS
PIE SVSPICIENDIS VENERANDIS
FELICITATEM PERPETVAM PRECATVS
ET INCOLVMITATEM
HAS LITTERARVM PRIMITIAS
SVMMA OBSERVANTIA
D. D. D.
CONSAVIBAS
SYNDICO
AC
SYNTACTIBAS
BIONYSIVS RATIEN.

A decorative horizontal border at the top of the page features a central floral emblem with a crown above it, flanked by symmetrical patterns of stylized leaves and flowers. This is part of a larger decorative frame that encloses the entire Praefatio section.**PRAEFATIO.**

Vt, qui in bivium incident, quamnam
potissimum viam ingrediantur, dubi-
tant, idque maxime, cum sylua aliqua
prospectum eripit, arbores condensan-
tur: ita in hoc, quem speciminis edendi caussa
suscepi tractatu, si ipsum separationis remedium
intueor: variae illius occurrunt species, quae toti-
dem mihi inferunt impedimenta, si totius ambi-
tum doctrinae circumspicio huc pertinentis: quo
me tandem vertam, vix possum reperire. Quotus
enim quisque de separatione agens, non etiam
similia adfinia eiusdem pertractauit? Ille praeci-
-
A puam

piam caussam agit creditorum hereditariorum; hic ex rescripto D. Pii simul heredis; rursus quasi separationem statuit aliquis; utilem alias a necessaria, alias alio modo distinguit. Sunt etiam qui post introductum beneficium inuentarii omnem hanc de separatione operam superuacaneam esse putent. Deinde cum hoc mihi sedeat, beneficium illud non chirographariis modo, sed ceteris quoque defuncti creditoribus competere: tum vero sub adspectum venit patrimonii possidendi distrahendique ordo, quem recte cum labyrintho quodam creditorum SAMOZA videtur comparasse. Quid igitur faciam, adolescens ego, ingenio tenui, exigua immo nulla doctrina praeditus, ipsis viris doctis super re proposita in discordiam abeuntibus? Hoc nimirum, ut ponderatis, quantum per virium imbecillitatem licet, cuiusque rationibus et argumentis, medium quasi viam teneam, modeste, sicubi res postulat, dissentiam, et omnia ante tentanda, quae tentari possunt, quam pulcherrimi nostri edicti usum censem esse abrogandum. Ingratus forem in eos, quorum disciplina in studio iuris profeci ita, ut iam ad honorem, exacti curriculae academicie praemium, adiparem, si, quibus me imbuerunt, negligerem, desererem praecepta;

si ra-

si rationes hac quidem in re ab ipsis adlatae me non coinvicerent; agrestem me, si non auctoritas tantorum virorum flecteret, insipientem atque exordem profiterer.

INSTITVTI RATIO.

Vere ac eleganter summus iuris Romani interpres, cohaerent omnia, inquit CVIACIVS (parat ad π. tit. mandati) digestaque sunt omnia arte mirabili, nec tam ingenio Tribonianii, quam Iuliani, Hermogeniani et veterum prudentum, quorum ille vestigia secutus est — omitto cetera, quibus inuehitur in eos, qui aliam artem commiscantur. Quare etsi hoc mihi propositum est, vt constitutionem GORDIANI imperatoris, quae in codicis tit. de bonis auctor. iud. possid. numero secunda reperitur, declarem: luet tamen, quasi ab illo, cuius pios manes veneror, essem admonitus, ante omnia doctrinae sedem, qua in pandectis Iustiniani locata est, ostendere. Deinde data separationis definitione, quae omnes species, quas quidem admittimus, comprehendat, caussas illius indagabimus. Tum ad rem ipsam transituri, de ratione ac aequitate, quae Praetorem mouit, vt beneficium concederet defuncti creditoribus, nam ea quidem caussa

praecipua est, verba faciemus. Post quibus, quando et quamdiu illud competit; quomodo petatur, quibus in caussis cesseret, docebimus: quae omnia sectio I comprehendet. Denique sectio II GORDIANAE LEGIS continebit interpretationem, quam, pro ea qua constitit animi contentione, aequis harum rerum aestimatoribus spero sese probaturam. Postremo, remotis iis, quae in contrarium mouentur, breuiter epilogo quodam dicta repetemus.

SECTIO I

DE BENEFICIO SEPARATIONIS.

§ I

SEDES DOCTRINAE.

Cum Pandectes doctrina sit actionum, his autem contineantur remedia iuris persequenditam ordinaria, de quibus libro 5-38 agitur, quam extraordinaria, quae inde a libro 39 incipiunt, utraque persequitur ordine suo compilator. Itaque post remedium noui operis nunciationis, damni infecti cautionem et actionem aquae pluviae arcendae, non solum in donationem, quae actionem non nisi ex conuentione adiecta producit, sed etiam in praetudiciale actiones, in quibus maior desideratur iudex, libro

bro 40 inquirit. Tunc ad interdicta transiturus, quae instar actionum habent, cum eadem prodita sint de possessione, hac autem dominium adquiratur: recte inseruit titulos de acquirenda vel omittenda possessione, deque variis caussis dominii acquirendi. Ac ne tunc quidem ad interdicta transit, verum de admissione in possessionem, ea praecipue, quae fit iudicati seruandi caussa, instituit tractare. Cumque iudicatis similes sint in iure palam sua sponte confessi: de his quoque egit peculiari titulo, quem excipit beneficium legis Iuliae. Non praeter rem erit, si huius quidem iuris progressus, plerumque, ut video, neglectos, breuissime notem. Aequissima quidem vox est, stricto iure, ut, quod quisque debet, soluat. At mitiorem SOLON adoptauit legem Aegyptiorum. Seueriores DECEMVIRI obaeratum neruo et compedibus vinci, vendi, occidi voluerunt. Post lege POETELIA, quam eruditis obseruationibus illustravit Clar. NEVHAVS, ne corpus obnoxium esset, nisi noxiam meruisset, cautum fuit. Tum SYLLA dictator bonam eiurare copiam permisit vitio fortunae depauperatis. His iisdem lex IULIA, qua de sermo est, concessit honestam bonorum cessionem. Honestam dico, quia, cum ignominiam inferret

A 3

bono-

6 SECT. I DE BENEFICIORVM

bonorum possessio vel distractio, iam ante Se-
natus decreuerat, vt bona Senatorum per pro-
curatorem distraherentur. Postea, vti ex *l. 12*
C. de oblig. et action. adparet, iterum coepit de-
bitorum seruitus, donec illis tandem Iustinianus
nou. 135 iurisurandi remedio non iniuncta ces-
sionis necessitate h. e. plenissime subueniret.
Quodsi debitor nec sponte cedit bonis, nec iurat
imparem se esse soluendo, tum decreto Praeto-
ris in bona creditores mittuntur. Quod quidem
decretum duplex est, *primum*, quod custodiam,
secundum, quod etiam vendandi tribuit faculta-
tem. Atque cum haec missio pignus constituat
praetorium: sequitur illam venditio bonorum
solemnis, reddito iudicio, quod vulgo concur-
sum, processum cridae appellant, nobis etiam
alio nomine ordinem possidentorum distrahen-
dorum placet adpellare. Nimirum, cum plu-
res creditores solutionem vrgent, nec bona sunt
soluendo: iubet magistratus, vt quisque ius do-
ceat suum. Et iudicium in foro domicilii debi-
toris vel super omnibus eius bonis, vel super
quibusdam redditur; formam vero accipit, si-
mulac creditores per edictum fuerunt citati.
Creditoribus respondet contradictor iurisconsul-
tus, qui etiam oeconomus, magister esse potest
bono.

bonorum. Interim iudicis est bona non minuerre, sed augere, ob-signationem, inuentarium curare, nomina, vel exigendo, vel reuocando, separare. Denique finito, quod vocant, super prioritate iudicio, creditoribus suum cuique ad-signat locum, distribuit, soluit. Classes quidem creditorum, quae vulgo circumferuntur, hic quidem supersedeo illustrare; sufficit dixisse, quosdam suas res repetere, alios priuilegium exigendi habere, hypothecam alios, alios denique, nisi lex illis adiutor, solam debitoris fidem sequi debere. Tria autem ipsis proposita sunt iuris beneficia, ut curationis, reuocationis et separationis bonorum. Quare cum posterius id ipsum sit, de quo in praesens verba facturi sumus, praecipuam eiusdem caussam ex iis, quae dicemus, facile erit cognoscere. Sed admiscere interpres plures alias, moti inscriptione tituli Dig. de separationibus, quibus quidem expendendis multum operaे necesse est impendamus.

§ II

BENEFICIVM IVRIS SEPARATIO.

Cum aditione fiat confusio bonorum hereditatis atque defuncti: intra quinquennium ab adita hereditate separantur et creditores et bona, quae sunt

sunt vel heredis, vel hereditaria, ita, ut creditores hereditarii mittantur in possessionem bonorum defuncti; heredis vero in bona eiusdem. atque iure ciuili Romano heredi necessario, veluti seruo, id conceditur, ut ne creditores hereditarii vendant eius bona propria, quae vel post mortem domini adquisiuit, vel dominus ei debet. Idem beneficium competit patrono, heredi liberti, et castris creditoribus, ut se parentur a paganis. Sed maxima pars tituli *Dig. de separationibus* agit de separatione illa, quae hereditariis creditoribus permissa est eam obcaussam, ne creditores heredis etiam vendant hereditaria. Itaque recte *CYLACIVS separationem ait esse honorum et creditorum aliorum ab aliis seorsum habitam rationem.* Quia definitione interim contenti erimus, donec ad beneficii causas inter se diuersas peruenierimus. Tentandum enim est, ut *MEIERVS in colleg. argent. ad h. t. monuit,* annon omnes separationis species vna definitione complecti possint. Quodsi verbum notamus: proprie dicitur de commixtis rebus, ut in *l. 19 § 2 de auro et arg.* et est discretio a magistratu facta. Sed yti bona, ita etiam personae dicuntur separari. Ceterum plane pecularis est appellatio, qua *GORDIANVS in l. nostra vtitur,*

vtitur, *remedium indemnitatis*. Iam, vt origi-
nem beneficii ostendamus, praecipua illius caus-
sa consideranda est. Scilicet, cum creditores de-
functi in personam heredis incident, cauendum
vtique est, ne huius aes alienum illis noceat, in-
ducta per aditionem vtriusque patrimonii con-
fusionem. Quis autem huic rei prospexit? **V L**
PIANVS in l. i π b. t. de aequitate memorans
quasi digito monstrat diligentissimum huiusc
magistrum Praetorem. Quid? quod eundem
aperte nominat **GORDIANVS** Imperator. At
non constat neque de auctore, nec de aetate
edicti, cuius adeo verba desunt. Hoc certum
est, temporibus id **ANTONINI PII** iam propositum
fuisse. Hic enim, cum imperatores successissent
in Praetorum iurisdictionem, exemplo remedii
Praetorii creditoribus competentis simile quid, vt
infra docebimus, in causa heredis constituit
fiduciarii. Relatum autem beneficium fuit, in
longe nobilissimam illam prudentiae et aequita-
tis exemplorum congeriem, quae, vt antea **OFILII**,
A CAESARE excitati, diligentiam exercuit, ita sub
auspiciis **HADRIANI** a **IVLIANO** perfecta prodiit,
opere artificio, cuius ordinem etiam nunc in
parietinis veterum prudentum admiramus. Be-
neficium cum diximus iuris, respeximus ad eos,

B

quibus

quibus indultum est, creditores. Neque IUSTINIANVS omnes iuris partes legislationi suae adrogando vel tantillum naturam earum potuit mutare. Quare id, quod de iure singulari memoriae proditum est, etiam ad hoc, de quo agimus, videtur pertinere. Quid? cum Principis beneficia facilius, quam populi rogationes, interpretatione producerentur: nihil profecto impedit, quo minus summae rei arbitrum, Praetoris more ius dicentem, etiam similes causas ex aequitate admisso dicamus. Taceo bonorum possessiones, restitutions integri, a Principe velut edictorum interprete concessas: mouet rescriptum, cuius supra meminimus, maxime ad rem pertinens, D. III. Sed nihil magis utilitatem beneficii nostri ostendit, quam quod ipse, qui regnum Praetoris euerterat, HADRIANVS in fragmento SC., quo edictum perpetuum confirmavit, praescripta licet certa iurisdictionis forma, hoc tamen magistratibus concessit, ut per consequentiam eorum, quae iam tradita essent, hoc est, ex analogia, quam dicunt, iuris, statuere possent. Quae cum ita sint, ut propositum de separatione remedium iustum, aequum et utile agnoscimus: facile quoque eiusdem admittimus causas, quae vel antiquis magistratibus pla-

placuere, vel, mutato rerum statu, nostratisbus probantur.

§ III

SEPARATIONIS CAVSSAE.

Vt igitur ab ea, quam praecipuam dixi, caussa exordiar: intra quinquennium ab adita hereditate decreto Praetoris et creditores et bona praeuia caussae cognitione separantur. Creditores intelligo hereditarios, quibus defuncti, cuius fidem fecuti sunt, bona sufficiunt; quae non sufficerent, si et ii, quibus mediocris vel egenus heres debet, in ea mitterentur. Certe illorum caussa iustissima est, cum non consenserint, sed inciderint in personam heredis, qui facto suo, h. e., aditione ipsis non potest nocere. Atque profecto nociturus esset, nisi hoc remedio confusione bonorum caueretur. Neque bona hic tantum paterna intelligimus, vt STRYKIVS ait, *in v/su mod. π. ad h. t.* sed omnia omnino, quae vel lege, vel testamento, vel moribus nostris etiam pacto heredi obueniunt. Ipsius autem heredis creditoribus communii interpretum consensu, beneficii fructum prorsus denegamus. Nam et recte LEYSERVUS (spec. 489 med. 6) monet, illorum ius, quamvis certum sit ac liquidum, cedere hereditario cuicunque; et vtique heredi credito-

B 2

rum

rum suorum conditionem adiiciendo sibi alios
deteriorem licet reddere. Quod cum aperte
probet **VLPIANVS** l. 1. π. b. t., tum valde
suavis est **WISSENBACHIVS**, qui in contrarium
adducit **PAPINIANI** iurisconsulti auctoritatem.
Notus est calculus Mineruae, ex l. vn. C. Theod.
de respons. prudent. Vicerit igitur **PAPINIANVS**
in aequali disputantium numero: nec tamen pal-
ma in § 2 l. 3 π. b. t. posita videtur fuisse. Verba
VLPIANI in § 17 sunt haec, vulgo placere, *credito-*
res quidem heredis; si quid superfuerit ex bonis
testatoris posse habere in suum debitum, credito-
res vero testatoris ex bonis heredis nihil. At lo-
quitur de iure stricto. Nam qui separationem
impetravit, impulare sibi debet facilitatem suam,
cum forte idonea erant heredis bona, a quibus
nunc videtur exclusus. Ceterum se reuocat no-
ster; *si tamen, inquit, temere separationem pe-*
tierunt, impetrare veniam possunt, iustissima sci-
licet ignorantiae causa allegata. Quid ergo? an
PAPINIANVM, studiosissimum aequitatis, secus
putemus sensisse? Non timide is, quasi contra
opinionem receptam dicens, nec enim credibile
est Praefectum Praetorio propter adsidentes suo
in auditorio, **VLPIANVM** et **PAVLVM** me-
tuisse, sed, cum heres iure ciuili in obligationes
defun-

defuncti succedat, hanc ipsam ciuilem aequitatem prae se ferens, *commodius* ait *esse*, vt, si quid ex bonis heredis supersit, id hereditarii creditores ferant. Neque tamen rem in vniuersum definit, vt ex sequentibus colligitur verbis, *quod sine dubio admittendum est circa creditores heredis, dimissis hereditariis*. Durissimum enim foret, si qui cum herede contraxerunt, nullo beneficio muniti, etiam ab residuo hereditatis, ex quo facere, cuius fidem secuti sunt, intelligitur heres posse, excluderentur. At hereditarius beneficio sibi concessa temere vteribus non nisi *ex magna causa subuenitur*. Quo respexerit acutissimi vir ingenii, nisi *ex VLPIANI* verbis planum fiat, in tanta factorum multitudine, equidem non audeo definire. Hic infestas quidem notas adiecit corpori *PAPINIANI* librorum, damnatas a *VALENTINIANO*, ab *IVSTINIANO* rursus restitutas, at locis excitatis, quidquid dixerint, viderint alii, nobis qui oculati saepe etiam verum vidimus, ambo inter se non dissensisse, sed consensisse potius videntur. *COCCEIVS* non contemnendus auctor, *HENRICI* filius, ratione ab oppositione petita (*in iure controuer-
sb. b. t. 93*) *PAPINIANVM* et ipse ait rem du-
biā reliquisse, *PAVLLVM* definituisse. Occur-

B 3

rit

rit igitur alius PAPINIANI aduersarius, qui vt
notis illum, quemadmodum consueuerat, paulo
acerbius reprehendit, ita ipsi quoque, qui po-
testate ab imperatore secundus esset in auditorio
(l. 40 π. de rebus creditis) ausus est contradice-
re. Is enim districte negat credidores heredita-
rios ad heredem, quem quasi contemserint, re-
uerti posse. *Quod si*, vt verba illius repetam,
propriet ad solidum peruererunt, id quod supererit,
tribuendum hereditariis quidam, vt diximus, [et
ipse PAPINIANVS aiebat, aequitate commotus,]
putant, mihi autem id non videtur: cum enim se-
parationem petierunt, receperunt a persona here-
dis, et bona secuti sunt, et quasi defuncti bona
vendiderunt: quae augmenta non possunt recipere.
Striblinem PAVLLI agnosces, an ex verbis
quae praemisit, etiam studium aequitatis? Hoc
nimirum placebant iurisconsulti imperatoribus
eorumque maiestatem tuebantur. Num igitur
vere dissentit PAVLLVS ab eo, quem nunquam
satis laudare possumus, PAPINIANO, cuius me-
moriā, quam interire non sinunt quaestionum
libri. Syndicus quondam liberae nostrae ciuitatis
Cel. otto digno quoque monumento litterario
voluit extare. Si dicendum, quod res est, stricto
quidem iuri inhaeret PAVLLVS; nec ipsum ta-
alias

men alias piguit aequitatis. Quid igitur? decidit rem paullo severius, ita ut ne deceptis quidem circa separationem succurrendum putaret. At principio tamen tractatus (*de promtum enim caput iuris est ex libris Quaeſtionum*) nonne humanior? Quod non putem. Ipsa enim iuris ratio dictabat, ut quod ex pecunia hereditatis, h. e. vniuersitatis, parasset, adquisiuisset heres, id creditoribus cederet defuncti etiam post separationem impetratam. Quare haec nostra est collectio: non PAPINIANVM, vt placet WISSEN-
BACHIO, sed PAVLLVM habuisse aduersarios, videlicet aequitatem contra strictum ius virginates; licet ipse saepe alias rapuerit occasionem, quae benignius responsum praebiceret.

Iam posita cauſa principi, in qua separatio impetrari solet, ex his, quae diximus, duplicitis patrimonii permixtione intelligitur caueri. Quid si plura permixta fuerint patrimonia? Ac difficultem iudicat LEYSERVUS (*spec. 489 med. 7*) hoc casu separationem. Nonne huc referri possit § 8 l. 1 b. t. Ut si Primus Secundum heredem scripsit, Secundus Tertium, decreta Tertii bonorum venditione: quomodo creditores diuersos a se inuicem discernamus? Ac putat VLPIANVS creditores Primi semper audiendos esse, Secundi non

non nisi aduersus Tertii creditores impetrare beneficium posse. Ac recte Primi creditores, velut defuncti, ceteris, qui sunt heredum, preeferuntur. Quodsi, neglexerunt beneficium, vel eo non indigerunt: Secundi creditorum, ipsis quasi succendentium, habetur ratio, atque ut separatio fieri possit, illi, quibus Tertius debuit, heredis et bona, et personam, quae, viua, *vt PAVLLI* verbis vtar, adquirere potest, habent. Ceterum si constat de patrimonio, quod quisque habuit debitorum, discretio quidem nihil haber negotii: at confusis mobilibus, ut plerumque fit, multi sudoris labor erit. Quanquam ne tunc quidem desperandum monet *LEYSERVVS*, proposito remedio, de quo deinceps dicturi sumus.

Nec praetermittenda est caussa pr. l. 3 b. t.
a PAPINIANO proposita, si debitor fideiussori sit heres, eiusque bona veneant, annon creditor separationem possit impetrare. Extincta iure ciuili videtur obligatio, quia idem debitor est, qui fideiussor. At cum naturali simul et ciuili iure, praesertim nondum introducto beneficio ordinis, pecuniam deberet is, qui fide sua illam insisset dari: *P APINIANVS* summam, quam et praedicant alii, separationis aequitatem praetulit iuris subtilitati. Rationem pulcherrimam addit verbis:

neque

neque enim ratio iuris, quae caussam fideiussionis propter principalem obligationem, quae maior fuit, exclusit, damno debet adficere creditorem, qui sibi diligenter prospexerat. Itaque creditor ille, cui quis fide sua promisit dari, siue solus sit, seu alii cum eo concurrant, mortuo debitore, hereditarius habetur. Quid si solidum non est consecuturus? Iurisconsulti verba clara sunt, ut non egeant interprete.¹⁰ Quaerit enim, vtrum contentus esse bonis separatis debeat, an hoc amplius portionem damno creditorum heredis, petere? Atque remota definit, vt stipulator, quia, non adita fideiussionis a reo hereditate, illius bonis venditis, in residuum debitoris heredibus promisceri potuerit, a petitione non remoueat. Quam pronus ille fuerit in aequitatem, nisi id, quod superius adtulimus, demonstret, hoc certe probabit exemplum.

Progradimur ad aliam caussam, ex utilitatis ratione, qua veteres Iurisconsulti in interpretationibus saepe sunt vni, creditorum nempe impuberis, vel cui ille substituit, patris. Constat substitutionem hanc pupillarem et honorificam impuberi, ne integratus decederet, et utilem quoque propter insidias agnatorum fuisse. Et cum proprio quodam iure inducia fuisse, vt videtur, a iurisconsultis;

C

ipſi

ipsi auctores, in sectas postea diuisi, quaestio-
nem de duplice testamento agitarunt. Neque
vero duplex testamentum est, cum pater sibi,
deinde impuberi heredem scribit; sed haec sub-
stitutio adpendix et sequela habetur testamenti
paterni, licet duae sint hereditates. Iam casu
existente, h. e. mortuo intra pubertatem pupil-
lo, nulla dubitatio est, quin contra eos, quibus
substitutus debet, et patris, et filii creditores se-
parationem possint impetrare. *an* Vtrique enim
videntur hereditarii.

Eleganter **HVGO DONELLVS** (comment.
de iure ciuili lib. XXIII, cap. 15) si omnes credi-
tores, inter quos res agitur, contraxerunt cum
ipso debitore, nulli aduersus ceteros datur bono-
rum certi alicuius temporis, aut certae conditio-
nis separatio. Neque excepta sunt castrenia,
quia de his contrahens cum milite dicendus est
contrahere. Sunt omnes in eadem caussa, at-
que, ut **VLPIANVS** ait, simul admittuntur.
Priuilegium tamen militibus concessum facit, ut
castrenses, praeferantur iis, qui ante militiam
cum filiofamilias contráxerunt. Rationem idem
DONELLVS addit, quia iniustum sit, personam mi-
litis, ut bona propria, vnde dissolueret, habentis,
decipi secutos, si haec bona sibi eripiantur, at-
que

que in alios, qui ante militiam crediderint, transferantur. Sed miror, cur non ipsam hanc rationem accommodarit ad impuberis creditores. Quid enim? nonne pupillaris substitutio datio est hereditatis adquisitae alteri? Ipse impubes bona habet, quibus debita dissoluat. Quare, ut diximus, iis, quibus debuit, ex hereditate satisfieri necesse est.

Veniamus nunc ad eos, quibus separationem indulget conditio heredis. Atque hac de causa **VLPIANVS** loquitur § 6. Dicitur *impropria* (coll. Argent.) quam ipse perat heres, separatio. Sed praefstat, **VLPIANO** auctore, *quasi separationem* hoc referre, quae ex interpretatione creditoribus competit fiduciarii heredis. Nam **IS, PEGASIANO** sc ad adeundum coactus, siquidem suspectam dicat hereditatem, neque sit, cui restituat, beneficio **ANTONINI III** et sua bona seruabit, et liberabitur a creditoribus hereditariis ita, ut perinde, ac si non adita fuisset hereditas, veneant defuncti bona. Creditoribus autem eius, qui beneficio non vtitur, ne ipsis haec noceat negligentia, conceditur quasi quaedam separatio. Quod ex **TREBELLIANO** eundem cogi nonnulli dicunt, interim nobis concoquendum est. Etenim **MODESTINVS**, cuius heu-

rematica interpretatus est BRENCMANVS in l. 45 *π.* ad *Senatusc. Trebell.* suadet tantummodo quartam deducere nolenti, ut suspectam dicat hereditatem; eamque velut ex TREBELLIANO adeat, cum beneficium inuitio non detur. Sane adeundi necessitatem ex PEGASIANO in antiquius illud TREBELLIANVM transtulit IVSTINIANVS.

Porro consideratur persona heredis necessarii, qui nihil adtigit nec in rem suam vertit ex bonis patroni § 18 l. 1 item huius quoque, tanquam creditoris, si liberta damnosam adiit hereditatem, l. 6 § 1 h. t. quibus quidem exemplis, quippe vsu hodie plane destitutis, non immoramus. Atque haec habet ius, quod in Germania in subsidium defientis patrii iuris receptum fuit, civile Romanum. Interim mirifice placet ordo, quem DONELLVS in his caussis tenuit digerendis, diligentior hac in re DVARENNO, a quo profecerat, et alio quocunque. Sed vsui nobis erit haec opera in § sequenti, vbi rationem et aequitatem edicti ostendemus.

Superest, ut quid interpretes, praesertim hodierni, doctrinae huic adiecerint, videamus. Ill. igitur HELLFELDV ET separationem iure dominii ait fieri, ut cum vindicent species moto

con-

concursu creditores. Nam speciem credidit et qui depositus, commodauit, pignori dedit, et ipsa, quae res suas intulit vxor. At ea quidem, quod pace dictum velim doctissimi viri, non est separatio, qua de loquimur. Repetunt illi suas res, iure suo, nec indigent discretione magistratus. Ita et impropre dicitur separatio, si, cum bona mariti a fisco occupantur propter debitum principale, mulier suas res a bonis mariti seiuscit. Quid? nonne, si verbo inhaeremus, etiam coniuges a se inuicem c. 2. 3. X de diuort. liberi ab oeconomia patris, fructus denique a solo dicuntur separari. l. 13 quib. mod. vsusfr. Loquimur de bonorum, non de rerum vel personarum separatione. Deinde cum beneficium locum habeat inter creditores eorum, quorum alter alteri successit; recte LEYSERVUS spec. 489 med. 9 vnius eiusdemque debitoris creditores exceptit ita, ut liberi auta maternaque repetituri frustra separationem petant ab iis, qui priuilegium habent exigendi. Sed aliae sunt caussae, ad quas beneficium nostrum vtilitatis caussa producatur. Sic ipse VLPIANVS, licet inter vnius eiusdemque debitoris, ut modo diximus, separatio non habeat locum, tamen cum merx peculiaris ve- neat, duplicis negotiationis, item diuersarum

C 3

taber-

tabernarum creditores separatim putat in tributum vocandos § 15 et 16 l. 5 de tribut. act. Non conuenit quidem inter Doctores, an idem beneficium hodie obtineat, si mercator pluribus in locis tabernam habuerit. MORNACIUS et GROENWEGIUS negant, quia cum serui pronullis et mortuis haberentur, cit. § 15 iurisconsultus dixisset, non personae sed merci creditum fuisse. HVBERVS autem cum BECKMANO distinguit, vtrum mercator ipse, an per institorem tabernam exerceat, et posteriori casu separacionem admittit. At verior videtur et VOETII § 7 h. t. et STRVIII § 47 tententia, ius ciuale adhuc moribus obtainere, idque multis firmant LAVTERBACH de iure mercat. in foro visitato, § 78 SCHILTER exerc. 27 th. 51 MEVIVS ad ius Lubec. P. III tit. I n. 10. Sane quae § 16 cit. l. de diuersae tabernaे creditoribus additur ratio, maxime naturalis est, ne ex alterius re, mercede alii indemnes fiant, alii damnum sentiant.

Numquid responsum in § 16 l. 10 tit. Dig. quae in fraud. cred. hoc pertineat, LEYSERVUS quaerit. Ac putat quodammodo pertinere. (cit. spec. med. 10). Nam creditorem eum, qui sufficienti et res suas secum ferenti debitori has absulerit, ceteris omnibus praferendum esse.

Quin

Quin regulam ponit, cuius ope res ab interitu
seruata fuerit, hunc eundem omnibus etiam
ius ea in re habentibus potiorem haberet. Sed
ante omnia VLPIANI, cuius ille locum excita-
uit, verba inspiciamus. Sunt autem haec: *si*
debitorem meum, et complurium creditorum con-
fiscatus essem fugientem, secum ferentem pecu-
niam, et abstulisset ei id, quod mibi debeatur,
placet IVLIANI sententia dicentis, multum in-
teresse, antequam in possessionem bonorum eius cre-
didores mittantur, hoc factum sit, an postea: si
ante, cessare in factum actionem, si postea, huic
locum fore. Oratio sic satis quidem clara et per-
spicua est; sed quoniam LEYSERVUS inde non
nihil ad separationem pertinens excuspsit, quod
mente non comprehendimus: huius notandi
causa, habet etiam interpretationem aliquam ad-
ferre. Creditor igitur in possessionem missus
suum consequatur necesse est. Sed fraude non
nunquam debitor consilium magistratus inter-
nueret, nisi illi occurratur. CICERONIS
aetate, vii ex lib. I ep. I ad Attic. patet, reme-
diuム necdum proditum fuit, verum de dolo
agebatur. PAVLVS tandem Praetor pollici-
tus est, actionem se ad reuocanda ea, quae in
fraudem creditorum alienata essent, daturum.
Mire

Mire sudant interpretes, vt BACHOVIVS de
action. disp. 4 aliique, et confundunt hunc tit.
Dig. cum eo, quib. ex caus. in poss., nec varias
eam in rem proditas actiones adtendunt; quas
tamen CVIACIVS, DONELLVS, VOETIVS re-
cte videntur discreuisse. Extat edictum partim
in l. i partim in l. 16. *h. t.* Cum enim inter-
dictum Praetor, cuius formulam continet l. 16,
proposuisset, idem etiam actionem in factum pro-
misit in eos, qui fraudem non ignorassent. Rur-
sus interdicto subiecit, etiamsi fraudis non sit
scientia in factum actionem. Quae remedia cum
in personam sint; tenetur enim et ipse fraud-
ator in id quod facere potest, quodue dolo desit
facere posse: praeterea competit in rem actio, ex
pignore praetorio, quae ad h. t. non pertinet.
Reuocat igitur edictum, quae gesta sunt fraudan-
di caussa, dum iubet restitu ea, quae quis, cum
haberet, amisit, fecit vt ad alium peruenirent;
item si ita se obligauit, vt postea desineret habe-
re. Sed etsi quid erectum sit, debitor desinit
habere, dum propter fraudem eius contigerit,
vt ei auferretur. Atque hoc refert DONELLVS
recte exemplum, super quo enata nobis cum
LEYSERO disputatio est. Distinguit enim VL-
PIANVS ea sententia IVLIANI § 16 l. 10.
vtrum

vtrum fugientem creditor consecutus ante sit, an post missione m^{is}sionem creditorum. Priori casu ablatum ait non reuocari. Ratio est quia creditor sibi vigilauit. l. 6 § 7 h. t. vbi in vniuersum ait **VLPIANVS**, creditorem, qui, antequam bona possiderentur, suum recepisset, non timere editum. Sed plane rem discipulus illius **SCAEVOLA** l. 24 eius. tit. publico tractatu definiuit. *Quid ergo, inquit, si cum in eo essent, ut bona debito-
ris mei venirent, soluerit mihi pecuniam, an actio-
ne reuocari ea posse a me? an distinguendum est,
is obtulerit mihi, AN EGO ILLI EXTORSERIM
INVITO? et si extorserim invito, reuocetur? si
non extorserim, non reuocetur?* Sed **VIGILAVI**
meiorem mean conditionem feci — ideo non re-
uocatur. Quod si quis post bona possessa, quae
causa est posterior, pecuniam extorsit, eripuit,
abstulit fugienti: actioni **PAVLIANAE** locus
est, ut creditor in portionem tantum veniat il-
lius pecuniae ceterisque exaequetur. Neque enim,
ut eleganter **VLPIANVS** in § 7 l. 6 excit. addit,
debuit praecripere aliquid ceteris, cum iam par con-
ditio omnium creditorum facta esset. Quia erro-
res magnorum virorum facile decipiunt: verita-
tis quidem causa vrget, at, cum tanta sit **LEY-
SERI** auctoritas, vix audeo errorem eius, quem

D

hac

hac quidem in re deprehendi, indicare. Cum ergo fieri possit, ut in reprehensionem incurram quorundam: rem in casum dedi: a cordatis nihil metuo, qui me non arguent temeritatis. Ab illis autem quaero, vtram caussam, duas nempe memoriaui, locum putent facere beneficio, quod iactitat **LEYSERVS?** En ipsius verba: *Obaeratus res quasdam suas in amici aedibus absconderebat.* Odoratus hoc quidam ex chirographariis, cui in concursu nihil sperandum erat, investigat res occultatas, in lucem protrahit, atque in iudicium defert. Re comperta, confluunt ceteri creditores, laudant sedulitatem consortis sui, ipsum tamen ad infimum locum detrudere, b. e. excludere conantur — *Senatus illi, qui seruauerat, res addixit.* Atque haec mecum voluendo diu non potui constituere, vtro de casu fuerit locutus, donec in specim. 496 medit. tertiam inciderem: ibi enim, *legis decimae*, inquit, § 16 *de casu agit, quo creditor vigilancia sua res ex fuga retrahit alias perituras.* Hunc igitur parem esse negat illi, qui ante concursum, sed suspectis iam debitoris facultatibus, aliquid ex bonis surripuerit; id enim restitui oportere. Quid ergo? posteaquam fugae sese dederat obaeratus, res absconditas detexit vnuis ex creditoribus, num easdem

easdem sibi seruauit missione iam impetrata? Non, sed in tributum vocabitur. Rursus quae-
ro, an ceteris nondum possidentibus dici possit
praeripuisse? Si pecuniam sibi debitam hoc mo-
do recepit, vel ut SCAEVOLAE verbo vtar,
etiam extorsit, vtique videtur vigilasse. Quid
si non pecuniam, sed rem, cuius pretium cre-
diti excedit quantitatem, reportauit? Cum se-
paratio eo tendat, vt ius nostrum citius, vberius
consequamur: illuc forte rediit noster noua pla-
ne, quam conceperat, idea separationis. Sed
neutro casu, vbi quis instat sine auxilio magistra-
tus fugienti, simul etiam iuri suo, equidem eius-
modi rei animo concipere non possum imagi-
nem. Quid enim? nonne, vt iam insinuauim-
us, ac deinceps ostendemus vberius, separa-
tio ponit diuersa bona, quae causa cognita de-
creto magistratus discernuntur? Et plane rem
conficit, quod ipse, quocum res est, medita-
tione, quae proxime praecedebat, agnouit, be-
neficium non inter eos, quibus idem debet, sed
inter diuersorum debitorum, quorum alter al-
teri successit, locum inuenire. Quod idem
CERVIDIO SCAEVOLAE in l. 24 superius excit.
alienam mentem adfixxit, quasi is vigilantem ha-
buerit non et eum, qui extorserit inuito debito-

D 2

ri,

ri, verbo notamus. Nam contextus verborum plane docet, vigilantiam, quam dicit, non ad casum, si non extorserit, restringendam esse. At mouit illum verbum, quo iurisconsultus usus est, extorquere. Miror, cur admiserit in l. 10
 §. 16 *ro auferre VLPANI*. Etenim eripere dicitur per raptum aliquid auferens, hoc ipso fur improbior. Scilicet vis priuata in ciuitate non est licita, cum iudicem adire possumus. Recte. Sed ut iure naturae nobis concessum, immo praecipuum est, ut res nostras defendamus, ita et persequi debitorem fugientem licet, eique rem auferre. Vim priuatam interdum impuniram esse oportet, vt in proposito, ne creditum pereat. Nihil hoc loco edictum M. ANTONINI in l. 13
 Dig. *quod metus causa* impedit. Enimvero si debitor fuga evaserit, frustra erit, qui requirat magistratum aduersus eum, qui nullibi reperiatur. Denique precibus, flagitatione, minis, quibus saepe debitore iniicimus timorem, debitum ab illo extorquetur. Quare non attendimus vim illicitam, vel cum dolo coniunctam, ut mouit et Magnificus in hac litterarum universitate Proreector SORBERVS, doctissima de iure vigilibus scripto commentatione (§ 53) et ab illo excitatus venerandus Senex, Perillustris,
 qui

qui virtute sua nomen, tot egregiis scriptis claram, ad posteritatis memoriam consecrauit,
Cancellarius ESTOR.

Sequitur et alia caussa, in qua habemus quidem dicere aduersus eundem LEYSERVM; at remoram nobis iniiciunt arcti, quibus constricti sumus, limites dissertationis. Denegat meditatione sequenti (II) sociis separationem propter debita ea, quae socius mortuus contraxerit extra caussam societatis. Ac reprehendit plures pragmaticos, nominatim vero CARPZO-
VIVM (dec. 54) velut antesignanum. Quid igitur habet, quod obiiciat pragmaticis? hoc nimirum, ut non intellexisse illos dicat l. 27 *r.* pro socio aliqui*que* iuris locos; frustra item ab iisdem tacitam quandam in bonis socii debitoris hypothecam allegari. Nec enim debita ex societate*lis*, quae vel socius ante negotium contraxerit, vel quae habeant priuilegium exigendi, praeferriri putat oportere. Sed ita teneo, multum interesse, vtrum societas simpliciter inita sit, an etiam bonorum. Namque in hac vel omnia, quae sunt sociorum, vel ea tantum, quae ad quaestum pertinent, communicantur, h. e. propria fiant pro partibus singulorum. Atque, ut communio tollatur, communi diuidun-

do agendum est, vt eorum quisque, quod in rem contulit, recipiat suum. Nullus igitur hypothecae tacitae, vt recte LEYSERVUS monet, locus est. At actio *pro socio*, licet societas dirempta sit, manet, atque perpetua est, vt, quod ex bona fide praestari conuenit, de communi soluatur. Atque haec est legis, quam commemo- rauimus 27 tit. *pro socio* sententia. Perperam autem ii, quos ille reprehendit, pragmatici, separationem, vbi nulla sunt bona inter se diuersa, nobis ingesserunt.

Omitto alias causas, huc relatas, de quarum iure ex sequenti § vt spero, constabit. Nec denique ad rem nostram pertinet *separatio feudi ab allodio*, qua feudi, allodii et hereditatis diuersa ratio habetur. Enarratis causis, superest, vt, an vna definitione omnes possint comprehendи, videamus. Quod sane difficillimum iudico; verum tamen experiri licebit. Est igitur *SEPARATIO beneficium iuris, quo creditoribus alterius, in quem inciderunt, ex priuilegio etiam iis, qui cum eo contraxerunt, his denique, quibus defuncti factum nocere non debet, certa bona officio iudicis discreta tribuuntur.*

§ IIII

§ IIII

BENEFICII RATIO ET AEQVITAS.

Est hic separationis bonorum effectus, vt, quemadmodum ii, qui priuilegio quodam sunt subnixi, ius suum consequuntur citius ac yberius: ita illis, quibus certa bona tributa sunt, hoc indulgeatur, vt eadem ipsi soli percipient ceteris omnibus exclusis.

Sed ante omnia videndum est, vtrum is, cuius de bonis separandis agitur, iure debeat aliquid separationem postulanti. Nam siquid titulo singulari translatum fuit ab herede: tum certe is, qui rem accepit, nihil videbitur debere. At si defuncti bona iure hereditario transeant in eum, qui et ipse aeri alieno est obnoxius, creditores defuncti beneficio recte ventur. Namque per aditionem bona nunc facta videntur heredis; hic autem iure ciiali defuncti peritonam sustinet.

Deinde quaeritur, annon illi, qui separationem aduersus alios postulant, et ipsi quoque contraxerint cum debitore. Neque enim hoc casu, vti recte monet DONELLVS, vlli aduersus ceteros certi temporis vel certae conditionis dabitur separatio.

Exci-

Excipiuntur vero, qui militi filiofamilias crediderunt, ut potiores sint paganis. Item, qui diuersam tabernam vel negotiationem resperxere.

Porro si alii defuncti, heredis alii, alii diuersorum, quibus idem successit, fidem sunt sequuti; separatio tenet, quia et hic occurrunt hereditarii creditores.

Illi vero, quibus debet heres, nisi eisdem extra ordinem subueniat Praetor, excluduntur. Separationem tamen postulant ex priuilegio, quod fiduciario heredi concederat ANTONIUS; nec igitur iure suo, sed ex persona heredis.

Denique, vt patrono non debet factum libertae nocere, quae adiit hereditatem damnosam, ne ipse huius creditoribus obligetur: ita plane suadet aequitas, ut heredi eiusdem necessario, qui adeundo in se transtulit ignominiam, quam bonorum infert venditio, hac superueniente, et nomina, et bona, quae post manumissionem adquisiuit, conseruentur.

Atque cum ex his, quae diximus, plana fiat definitio: tum, ut beneficii ratio penitus cognoscatur: distinctos actus et heredem obaeratum sibi facientis, et ipsius heredis adeuntis considerari

rari oportet. Ille iure ciuili alienat; nec tamen potest creditoribus ius, qui per aditionem fiunt heredis, nocere. Quid enim? si successerit illi obaeratus, ut neutrum patrimonium sufficiat ad debita exsoluenda: numquid deterior futura est conditio eorum, qui cum ipso contraxerunt? Minime vero. Quare et si hereditariam rem iure pignoris vel hypothecae obligauit heres, iidem potiores huiusmodi creditore sunt habendi, secundum id, quod VLPIANVS § 3 l. 1 h. t. retulit rescriptum SEVERI ET ANTONINI. E diverso adquirit heres; nec tamen in aliorum necem. Ut si maluerit post confusionem bonorum sua potius, quam hereditaria debita exsoluere: nequaquam id erit permittendum. Sed aequissimum est, ut hereditariis creditoribus ius, quod habent quaesitum, ut supra memini me dicere, facto alterius ne admatur. Neque est, quod quis velit contradicere, non idem praestari creditoribus heredis, quippe qui impedire non possint, quominus debitor adeundo fese obliget aliis. Atqui heres rerum suarum dominus est, et vti alienando, ita etiam adquirendo nocere potest iis, quibus debet. Ipsorum culpa est, si, antequam is adiret, non exegerunt credita, nec missionem postulauerunt. Quidni hereditariis cre-

E dito-

ditoribus liceat illos praeuenire petendo separationem? Ipsi siquidem peterent, vt ait COCCEIVS, de lucro captando cum hereditariis damno duntaxat cauentibus viderentur certare. Quae quidem omnia si considereremus: iuris huius a Praetore propositi, postea interpretatione producti, aequitas facile cuique adparebit. Nec iniquum videbitur, si syngrapham defuncti, et fisci, et municipum iuri, et cuiuis hypothecae ab herede constitutae preeferamus.

§ V

DEFINITIO CREDITORIS.

Igitur stricto iure creditor dicitur is, qui pecuniam mutuam dedit, debitor, qui accepit; licet alius utilitatem inde senserit l. 11 C. *si cert. pet.* Sed porrigitur vtriusque appellatio etiam ad alios contractus. videl. 20 de *iudic.* l. 11 tit. Dig. de V. S. et ad hanc, cuius in totum illum titulum eximia extitit opera, GOEDDAEVM. Itaque creditores sunt, quibus ex qualibet caussa vel contractu debetur. Dicam verbo, ex debito est obligatio. At non praeter rem erit, si fontes eiusdem indicemus. Primis quidem temporibus ROMANI, vt alii populi in simplicitate viuentes, stipulatione firmabant suas conuentiones.

Post

Post ad contractuum nomina processerunt. In quibus cum omnem fidem sanguis sent: mox juris-consultis placuit causa, h. e. conuentio, quae a datione vel facto effectum sumvit; hinc quibusdam pactis adstitit Praetor, aliis denique Principes vim concesserunt obligandi. Quare obligatio iure ciuili nascitur aut ex *contractu* siue *certo*, cui insunt *partea adiecta*, seu *incerto*, qui rursus est vel *inuoluntariis*, vel *iure non definitus*, aut ex conuentionibus *legitimis*, *praetoriis*, *stipulatione munitis*. Contractus certi, h. e. no-men habentis species, tanquam in *vulgus* notas, omittimus. verum cum **VLPIANVS** in l. I § I. de obl. et act. tres tantum statuat, doctrinae causa, ne quem **TRIBONIANI** contra illum aliosque veteres moueat auctoritas, precamur. In uoluntarii plura modo, modo pauciora adferunt exempla. Hoc teneo, quemadmodum in prae-lectionibus docet **ILLVSTRIS** in hoc actu Prae-ses, cuius praeclara in iurisprudentiam merita, meis non indigent praeconiis, quasi ex contra-etu obligationem non ex consensu quodam praefumto vel ficto, sed ex re ipsa, ex facto, ex vti-litate esse deducendam. Ceterum ut quae dan-tur exempla digeramus, citra consensum oritur obligatio tum ex *gesto*, ut si quis negotium igno-rantis,

rantis, absentis, defuncti, pupilli vnum vel omnia, vel etiam communia, seu cum cōdomino, sive cum coherede gesserit; tum *ex facto*, vt heredis adeuntis, suscientis litem et nautae bona recipientis; tum *ex datione* quoque vt indebiti, arrhae, dotis. In iure non definita negotia tam bonae fidei sunt, vt permutatio et aestimatum, quam stricti juris, veluti do vt des, quae conuentio similis est emtioni, do vt facias, quae ad locationem, facio vt facias, quae ad mandatum accedit, et facio vt facias, quae non nisi ob dolum obligat. Ceteras conventiones, quae vel legitimo, vel praetorio iure valent, facile quisque poterit addere. Valent etiam, quae in nudi placiti finibus stant, cuiusmodi est, dabo vt facias, moribus nostris.

Sed *etsi cui*, ait **VLPIANVS** in l. 12 *π.* de **V. S.**, *ex delicto* debeatur, creditor erit. Vnde exaequari hoc loco ait **EVERARDVS** in *Topicis contractibus* delicta. At creditum intelligimus, si vel cum defuncto lis fuerit contestata, l. 26 *π.* de **O. et A.**, vel ad heredem aliquid perueniret, vel ex mora is debuerit, vt in conditione ex causa furtiva.

Porro heres, quatenus coheredes habet, creditor videtur l. 7 **C. de bonis auctor. iud.** nam pro

pro ea pârte, qua ipse heres extitit, obligatio confunditur. Ut qui debitori ex triente heres est, pro besse actionem habebit, aduersus coheredes, et, si hi soluendo non sunt, etiam separationem l. 6 C. de hered. action. Item creditor est, cui ex die vel sub conditione debetur pr. l. 4 h. t. Is, licet missionem petere non possit, tamen, cum haec missio in rem fiat: petente alio, qui ius habet, ipse cum ceteris creditoribus mittitur in possessionem. pr. l. 12 de rebus auctor. iud. Atque hac *vulgari*, ut MARCIANVS in l. 114 § 12 de legat. i vel vt PAPINIANVS pr. l. 4 de separ. eam adpellat, *communi cautione* prospicitur etiam legatariis et fideicommissariis, quamuis illis defunctus obligatus non fuerit, sed ab herede debeatur. cit. l. 114. Ceterum legatarios ait l. 4 in ea tantum parte, quae de bonis seruari potuerit, pignoris caussam habituros; idemque IULIANVM pr. l. 6 eod. verbis, *solidum vel portio quaeratur*, sensisse puto.

§ VI

QVOMODO CREDITORES IMPETRENT
SEPARATIONEM.

Dixi supra, caussa illam cognita decerni a magistratu. Num a quoconque? Grauiter VL-

E 3

PIANVS

PIANVS impetratur, ait, decreto Praetoris pr. l. i h. t. Et apertius § 14 eiusd. l. de his autem omnibus, an admittenda separatio sit, nec ne: Praetoris erit vel Praefidis notio, nullius alterius. h. e. eius qui separationem indulturus est. Ergo iudex maior qui causa cognita indulgeat, desideratur. Hodie mutato rerum statu, cum iudicis et ius dicentis non amplius distincta sint officia: competens iudex quilibet ordinarius facultatem decernendi habet. Quaerit autem LAVTERBACHIVS diff. de separatione, c. 2 § 6, si res hereditariae et ipsius heredis diuersis locis sitae sint, cuiusnam loci magistratus possit decernere? Atqui ait, non rei sitae, sed domicilii forum esse respiciendum. Sed cuius? heredisne an defuncti? Hoc expeditum non esse; at verius tamen ipsi videtur, quia actio non aduersus defunctum tenuerit, sed in heredem cooperit, in domicilio heredis separationem impetrari. Quam opinionem recte refellit SCHILTERVS exercit. ad π. 46 th. 46. Nam vt heres in foro defuncti conueniendus est ab illius creditoribus: ita hibidem separari se ab iis, quibus ipse debet, postulabunt.

Cum igitur separatio non fiat ipso iure, quod enim STRYKIVS ex MEVIO de Pomerania obseruat, singularē

gulare est, neque ad exemplum trahendum. Conceditur illa petentibus, et his, qui petunt, solis; ceteri, qui omittunt, fidem heredis videntur sequi. At quanam actione experiantur? Nulla hic certa actio prodita erat, sed pendebat res ex Praetoris cognitione. Nam cum olim ita fuerit Praetoris iurisdictio, ut liceret ei non cognoscere, sed iudicem dare: hac in causa ipse debuit cognoscere et iudicare. Quod et in causa praejudiciali et restitutione minoris obseruare licet. Atque hanc cognitionem praetoriam vocant *implorationem nobilis officii iudicis BACHOVIVS, GAI-LIVS, HAHNIVS* aliique. Petitur separatio etiam per procuratorem, at non nisi speciali mandato instructum, cum interdum praestet omittere, quam petere. Exemplum refert *LAVTERBACHIVS § 9 cap. 2* excit. Dissert. vt si bona vix sufficerent hypothecariis, heres autem chirographarios tantum haberet creditores, chirographarios defuncti melius facturos esse, si separationem omitterent, quia ab hypothecariis exclusi, deinde reuerti non possent ad heredem. Ceterum in causae cognitione haec fere versantur, vtrum is, qui petit, fidem heredis sit secutus, an bona ita permixta sint, vt separari non possint, an denique effluxerit quinquennium.

§ VII

§ VII. Insuper hoc in
QVAE TRIBVANTVR BONA.

Atque ex his, quae disputauimus, qui et a quibus quoque remedio separantur, satis, opinor constabit. De bonis, quorum sit discretio, restat, ut dispiciamus. Inprimis consideranda sunt verba VLPIANI in § I l. i de separat. debitorem quis Seium habuit, hic deceffit; heres ei extitit Titius, hic non est soluendo, patitur bonorum venditionem. creditores Seii dicunt bona Seii sufficere sibi, creditores Titii contentos esse debere bonis Titii, et sic quasi duorum fieri bonorum venditionem. Qui ergo MEVIVS (lib. VI tit. 3 de cts. 10) potuit dicere, statum bonorum, qui fuerit mortis tempore seruandum esse, ut quid quid reliquise defunctus, id creditoribus eius praestaretur? Quid enim? si ex bonis confusis permixtis, heres interim, dum illi non petant separationem, aliquid vendiderit? Nonne totam vendere licet hereditatem? Quia vendita frustra, vt ait PAPINIANVS l. 2 h. t. ab eo desiderabitur separatio, vtique si nulla fraudis incurrat suspicio. Sed quae bona fide medio tempore per heredem gesta sunt, rata conseruantur. De oppignoratione non loquor, quae ipsa quoque distractio est, cuius modo initium expectandum

dum est. Id vero ostendit **VLPIANVS**, eum cit. loco ait missione facta etiam concedi separationem. Tum siquid abest ex hereditate, id etiam ex bonis heredis supplendum erit. Cedo illi, quas dicunt, meliorationes; recipiat etiam premium, quo rem pignoris nexus liberauit. Nec enim bona intelliguntur nisi deducto aere alieno. Dixi etiam supra, ius iisdem tribui potius in re pignori supposita ab herede. Non ideo tamen id, quod abest hereditati, ex bonis, ut ille putat, heredis supplendum erit. Iure vendit, dat in solutum, permutat heres, vtpote qui est dominus et arbiter rerum suarum. Separati ab ipsis patrimonio credores hereditarii frustra petent, vt in eodem substituantur.

Sed vocat nos ad se **VLPIANVS**, cuius verba inseruimus modo et adeo signauimus. Namque is in causa beneficij impetrandi heredem ponit obaeratum, qui pati debeat bonorum venditionem. Atque impetrato iure duplum admittit creditorum ordinem, ut alii in defuncti, alii in heredis bona mittantur. Quae cum ita sint; siquid interim heres alienauerit, reuocationi quidem, video, non vero sententiae **MEVII** esse locum. Quodsi non ita statim a morte testatoris, sed forte post annum heredis

F

bona

bona veneunt, temporis huius intercapedo libera-
meram, vt ait l. 3 h. t. dat illi alienandi faculta-
tem. multo minus tunc M E V I O assentiemur.
Praeterea hoc ille notandus est, quod ex *duplici*
venditione, quam memorat V L P I A N V S heredis
etiam creditoribus tribuit beneficium, plane no-
num; cit. *decif.* 9 *tit.* 30 lib. VI cum hereditarii
separare, illi vero in bona eius, cuius sunt secu-
ti fidem, mitti dicantur. Sed dimisso illo, pau-
cis etiam LEYSERV M volumus. Is in med. 5 spec.
489 refert, heredem obaeratum a suo credito-
re in iudicio conuentum, mox condemnatum
pati debuisse, vt nomen quoddam defuncti in
solutum adiudicaretur; tum vero repente vnum
ex hereditariis nominis adiudicati separationem
petiuisse. Atque hac in caussa beneficio locum
fore pronunciat fidenter. Sed nisi me omnia
fallunt, repetii autem et cogitatione pertrectavi,
quae de separatione collegeram, omnia, caussa
ab LEYSERO relata non vera videtur, sed ad
spurias referenda. Obaeratum ponit, intelligo.
Iudicatum quoque hac in re. Sed nihil hoc ad
nos. Num bona illius fuerant possessa? Non.
At hereditarius ille creditor interueniendo for-
tasse excitauit missionem. Quod in re proposita
non putem. Nam separatio pedissequa, vt ita
dicam,

dicam, est missionis l. 5 h. t. Iudicatus vero, de quo sermo est, vnum tantummodo ex hereditariis nominibus passus fuerat tribui in solutum. Id vero etiam ipse creditor i suo dare potuisset nondum interdicta sibi alienatione. Ac nonne tum dominium nominis transiisset in accipientem? Qui idem effectus cum sit adiudicationis: nescio cur hypothecam hoc in casu, imparem tamen interuenientis, iuri finxerit LEYSERVUS. Quare, ut ad rem redeamus, patrimonium separatur non id, quod tempore mortis fuit, sed quod superest, cum bona heredis veneunt, nisi ita cum iisdem permixtum sit atque confusum, ut discerni non possit. Ceterum si heredem inde constat rem suam auxisse, ratio naturalis non patitur, id eripi defuncti creditoribus, qui separationem impetrarunt.

§ VIII

TEMPS IMPETRANDI.

Cum igitur bona heredis vel alterius, cuius aes alienum nec potius debet esse nostro, nec nobis damnosum, non sunt soluendo, veneunt, distrahuntur: non solum propositum est edictum, ut ex hereditate nobis tribuatur id, quod defuncto credidimus; sed patet etiam beneficii inter-

pretatio, qua quis creditoribus vel praefertur, vel non tenetur, vel cauet denique, ne alienae obligationi immisceatur. Heredis fidem sequi aliquando periculosum est. Quid enim? si eius rationes non ita statim adpareant. Permiscebit interim bona hereditaria suis; alienabit nemine prohibente. Ecquis reuocabit res alienatas, nisi in possessionem fuerit immisus; separationis iure certe nemo, praeterquam si mala fide alienauerit heres. Consideranda erit et confusio, praesertim ratione mobilium, ut quae in dies crescit. Quamobrem post multum temporis non impetrabitur separatio. Quod ita interpretatus est VLPIANVS, § 13 l. 1 h. t. ut illa intra quinquennium ab adita hereditate postuletur. Sed, ut STRYCKIVS in vnu mod. π. ad h. t. obsernat, in quibusdam Germaniae prouinciis, ut in Marchia, Pomerania et ducatu Megapolitano non requiritur quinquennium.

§ VIII
BENEFICIVM QUANDO CESSET.

Si culpa est, tempore idoneo iuri suo non incumbere; eamque admittunt ii, qui vel cum foluendo est debitor, eum non excutunt, vel in venditione bonorum omitunt separationem:
certe,

certe, quod sibi imputent, habent, qui quinquennium beneficio praesitutum praeterlabi patiuntur. Cum enim facile interim confusio contingat rerum, praesertim mobilium: tum pecora, mancipia, praedia, si qua sunt, licet discerni possint, nunc tempore exclusi frustra, sibi ut tribuantur, petent.

Deinde, ut ait Codicis interpres PEREZ,
re non amplius integra, i.e. si heres bona fide
hereditatem vendiderit, frustra sunt, qui ab eo postulent separationem. Nec eorum, quae is medio tempore consumxit, perdidit, alienauit, ratio habetur.

Plane a beneficio remouendus est is, qui suapte sponte heredis nomen sequitur et fidem. Id quod vario modo ab eo fieri posse intelligitur. Nam in vniuersum quidem beneficio indignus est, qui cum debitore aliquid gerit, contrahit, quod non ad exigendam pecuniam necesse habet facere, ex quo animus apparet eius oblicationem vel renouandi, vel de integro constuendi, vel etiam differendi. At more iurisconsultorum ad exempla eamus. Igitur si quis a debitore nouandi causa fuit stipulatus; si satis ab eo accepit, si pignus, si debiti usuras: numquid putas beneficio eum adhuc usurum? minime ve-

F 3 ro

rol. I, § 10 et 11 h. t. Etenim habet, a quo sibi satisfiat, heredem. Quanquam quod ad viuras adtinet, interest, vtrum competierint, an creditor ita illas sibi constituerit, vt iisdem contentus solutionem velit expectare. Priori caussa non magis fidem heredis, quam qui iudicium dictauit heredi, videtur secutus l. vlt. h. t. Posteriori autem nulla ratione admittetur ad separationem.

Porro res ipsa postulat, vt separatio tum denegetur, si bona hereditaria ita heredis propriis sint permixta et quasi vnta, vt ambo a se inuicem discerni non possint. Quod facile in mobilibus, facilius in nummis, raro contingit in praediis § 12 l. 1 excit. Quod ex VLPIANI sententia de praediis diximus, ea contribui raro, non curat, quem aliquoties iam excitaui mus, LEYSERVUS spec. 449 medit. 3 contrarium enim docere experientiam. Per nuptias secundas plura interdum patrimonia coniungi; poscentibus igitur separationem liberis, iudicem aut aequo arbitrio, quae cuiusque bona fuerint, aestimare, aut aequales partes facere oportere. Quidquid sit: fane VLPIANVM non fugit ratio, nec enim coniuncta duorum eiusdem praedii possessio facile impedit, quo minus dominum a possessore dignoscamus. Deni-

Denique quaeritur, an remedium hoc chirographariis defuncti creditoribus saluberrimum, quo ipsi cuicunque heredis creditorи excepta tributorum, quippe rebus inhaerentium et sumtaum iudicii caussа, praferuntur, an illud etiam concedi debeat iis, qui hypotheca sunt muniti? Sunt, qui negent, eos illo indigere. BARTH dissensu 240. Sed verior est contraria eorum, quos idem adducit, sententia; eisque iungi velim COCCEIVM in iure controuersio. Non semper illi, fateor, indigent beneficio; aliquando tamen id ipsis est necessarium, ut si concurrunt cum iis, quibus est privilegium exigendi; vel si generaliter heres, quae habet, quaeue habiturus est, hypothecae dedit. Nec enim video aliter illis succurri posse, quam separatione.

Postremo nec lex singularis, quae debita quaedam ceteris omnibus praeferit, vt LEYSERVS spec. 489 med. 11 recte monet, edicto nostro eiusque interpretationi poterit derogare.

§ X

NVM EIVSDEM VSUS SVPERSIT INDVCTO
BENEFICIO INVENTARI

BARTHIVS ille, quem paullo ante citaui,
quidni PLAVTIVM appellemus, quia diuersas
opi-

opiniones doctorum colligit, ut hic sectariorum; is igitur dissensu 239 duos tantum adducit, qui post inuentarii beneficium usum huic nostro concederint, ANTONIVM FABRVM atque SCHILTERVM. Negantibus accenset LAVTERBACHIVM male. Is enim sententiam videtur diuisisse. Sed neque SCHILTERVS iure Saxonico admittit separationem; BERGERVS tamen (in oeconom. iuris, lib. IIII, tit. 31 n. 9) eo in casu, si periculum sit, ne heres ex hereditate debita exsoluat sua. Contra WERNHERVS (obseru. Vol. V P. VI, o. 4) districte illam ait hodiendum in Saxonia usum habere. Atque haec ad illum BARTHII locum obseruasse iuuabit. Nam, ut, quid nobis de re proposita videatur, dicamus, liceat illam paullo altius repetere, atque in iuris ciuilis amoenissimum campum expatriari. Cum igitur adire cuique liberum esset hereditatem: in testamento certum spatium heredi ad deliberandum praefiniri solet. Atque intra hos C. dies sollemniter adiens cernere dicebatur. PERIZONIUS ad Sanctii Mineru. lib. IIII, c. 15. Scrupulosa haec erat sollemnitas corpore apprehenso coram testibus peragenda, vnde etiam commentum dicitur in l. 1 Cod. Theodos. de bonis maternis. Neque tamen tot testes fuerunt necessarii, quot putat

putat **CVIACIVS** (obs. lib. VIII, c. 29) dece-
ptus vitiōsis codicibus **CICERONIS** ad Atticum
epistolarum. Male **MERILLIVS** (obs. III, 34)
digitorum percussionem; peius **ALTESERRA**
saltationem in foro requirit. EVER. OTTO *in
iurispr. symbol.* Possint et alii aliorum errores
notari; sed haec leniter ac velut in transcurso.
Ad rem vt redeam: si nullum tempus testamento
praefinitum fuerat, heres poterat moras necesse
cessare, nisi creditores yrgerent. Tum enim
adeundi vel repudiandi necessitas imposita vide-
batur. At interuenit Praetor, qui exemplo cre-
tionis ius induceret deliberandi. Quare si quis
intra praefinitum spatium decreuerat, is credi-
toribus defuncti tenebatur, nec vlla erat restitu-
tio, nisi ex causa aetatis. **HADRIANVS** tamen
aliquem ob grande aes alienum postea emergens
censuit restituendum. Quod beneficium deinde
GORDIANVS Imperator ad omnes milites ex-
tendit. Qui autem repudiauerat, desinebat he-
res esse; omittens denique, licet ipso iure ma-
neret, amittebat actiones. Sed longe aliter de
his rebus constituit **IVSTINIANVS** in l. vlt. C.
de iure deliber. Is enim periculi in hereditate
vitandi causa proponit *inuentarii beneficium*; ibi-
que non solum commendat, sed poenam quo-

G

que

que statuit in eiusdem contemtores, veteri iuri, quod ipse non abrogauerat, inhaerentes. Ac profecto iure deliberandi neque satis cautum erat heredi; neque id etiam creditoribus expediebat solutionem expectantibus. Ex novo autem beneficio et ille statim adire securus potest; neque his damnum mora infertur. Verbosa constitutio, eam in rem prodita, duas habet partes, quarum prior de ritu agit repertorii conficiendi, posterior effectum eius describit. Illo enim confecto sicut heres commodi potitur, ut, licet non satisficerit oneribus, **FALCIDIAM** detrahere possit: ita plane quoque incommodo leuatur. Nam et impensas in rem factas recipit, et credita, nec ultra vires tenetur hereditatis. Plane etsi tenetur creditoribus et legatariis, tamen primo, qui venerit, recte soluet; ipsi tamen a se inuicem id quod solutum est, possunt repetere. Atque ita paucis complexi sumus constitutionem, qua separationis iuri derogatum fuisse contendunt. **LAVTERBACHIVS** admisit tunc usum superfore, si quis non cum beneficio adiisset. At nulla ex constitutione ducitur ratio, quae superfluam reddat separationem. Illa utilis est heredi; hanc impetrant creditores. Praeter rem, inquietus, tenetur enim ipsis satisfacere.

facere. Sed quomodo? Primo venienti soluet bona fide, si nesciat potiorem superuenturum esse; alias nonnisi exacta cautione l. 41 ad leg. *Falcid.* et ita demum melior fiet conditio occupantis. l. 19 *π. de re iudic.* Enim uero, cum heres rem dirigat, non satis prospectum videbitur creditoribus. Si enim is bona fide egit: molesta inter eos erit repetitio, interdum etiam vana; si male tribuit res, quid demum ipso ad inopiam redacto consequentur? Quid? nonne idem suis creditoribus ex hereditariis bonis potest soluere? certe his non minus iuris competit circa bona, quae defuncti fuerunt, atque in ea, quae aliunde sibi heres adquisiuit. Quare placet hanc ex SCHILTERO imponere clausulam, inuenio repertorii beneficio rationem non cessare separationis, quod necessitas impetrandi eam, quae solos impetrantes iuuet, sublata non fuerit a IVSTINIANO.

SECTIO II

INTERPRETATIO L. 2 COD.
DE BONIS AVCTOR. IVD. POSSID.

Cum si ustra Codici detur opera, nisi Digestorum et alia pleraque adminicula suspetant: equidem ad constitutiones huius expositionem

G 2 animum

animum adiiciens, illa conquisuit diligenter, ideoque paullo longior fui in sectione praecedenti. Nunc, posteaquam plura iam praemisimus ad rem pertinentia, breuiores esse possumus. Verba igitur in Cod. repet. praelect. sic leguntur:

Imp. Gordianus A. ARISTONI

Est iurisdictionis tenor promptissimus, indemnitasque remedium edicto Praetoris creditoribus hereditariis demonstratum, ut quoties separationem bonorum postulant, causa cognita impetrant. Reportabis igitur conuenientem desiderii tui frumentum, si te non heredum fidem secutum, sed ex necessitate ad iudicium eos prouocare demonstraueris.

ARISTONI igitur de iure respondit GORDIANVS et nepos quidem; pater enim et filius vna regnabant a C. CCXXXVII; ipse autem, illis oppressis, a MAXIMO et BALBINO Caesar dictus, his quoque caesis, imperium solus accepit CCXXXVIII, ac tenuit, consilio adiutus soceri MOSITHEI usque ad annum CCXXXV cf. viii etiam post mortem clarissimi BACCHI hist. iur. lib. III, cap. 2 § 14. Itaque per istud sexennum, ut alia, ita hoc quoque rescriptum edidit GORDIANVS. Nec inquiet, illum sedecim annorum fuisse, cum susciperet imperium. Nonne enim

enim constitutum erat auditorium, in quo re-
scriberet imperator consilio habitu iurisperito-
rum? Certe DIOCLETANI et MAXIMINIA-
NI, quae utramque fere paginam Codicis faciunt,
rescripta, sapiunt doctrinam eius, qui illis a con-
siliis fuerat, HERMOGENIANI. Sed, ut caus-
sam, qua de quaeritur, aperiamus, ea, licet
in oculos incurrat, non tamen illa est, quam
potuit BRVNNEMANVS ad h. l. Debuit mihi,
referam autem verba illius per epitomam, Titius
centena, illo mortuo conuenio heredem; ne-
que quidquam recipio; postea, cum bona he-
redis veneunt, peto separationem, quam ceteri
credidores negant mihi competere, propterea
quod nouauerim — at nouatio non fuit volun-
taria, sed necessaria. Quem enim conueniam,
quam heredem? At longe alia est verborum
sententia. Nimirum siquid indico, dubitauerat
ille creditor hereditarius, an debitum exigendo
simul etiam separationem petere posset. Quem
scrupulum euellit Imperator. Nam ex edicto,
ait, creditoribus hereditariis competit remedium,
ut, quoties postulant, ex inita causa impetrant
separationem. In proposito igitur Aristonem,
nisi fidem herendum aliquaratione secutus fuerit,
ad iudicium illos suscipendum prouocare, simul
ad iudicium illos suscipendum prouocare, simul
G 3 crediti

crediti seruandi caussa separationem ab iisdem
 posse impetrare. Et obseruanda est dictio, *fidei
 heredis non secutum, eundem ex necessitate ad iu-
 dicium provocare*, quae, cum vnum actum signi-
 fieret, a BRVNNEMANNO praepostera ratione
 sic accipitur, quasi duos actus, duplex contineat
 iudicium. Non praecessit iudicium, sed iam
 nunc mouetur. Diuinavit, non rem ille est in-
 terpretatus. Audiamus MARCIANVM III. vlt.
*Dig. de separat. qui iudicium dictauerunt heredi,
 separationem quasi hereditarii possunt impetrare:
 quia ex necessitate hoc fecerunt.* Negat is cre-
 ditorem hoc ipso, quod cum herede egerit, fi-
 dem eius secutum vltro videri; et recte. Neces-
 saria enim est cum herede communio, ita ut cre-
 ditor aduersus illum agat ex necessitate, quod is
 ut debitori suo heres sit evenit; sit ergo no-
 uatio necessaria. Sed haec non impedit, quo
 minus actor exsequendi iuris caussa petat etiam
 separationem. Quae quasi *fructus* erit desiderii,
 ut loquitur GORDIANVS. Itaque *tenorem iuri-
 risdictionis*, eadem locutio occurrit l. 5 C. de his
 quae vi, BRISSON. de V. S. in hac caussa paratum
 fore rescriptum spondet. Propositum enim edi-
 ctio erat remedium, de quo superiori sectione
 tot verba fecimus, quod cur *indemnitatis* hic
 appell-

appelletur, restat ut videamus. Ac dicitur *remedium iuris vel persequendi vel conseruandi ratio; frequentius tamen sumitur pro cautione.* Indemnitas autem est damni restitutio vel praefatio. Hinc in magni cuiusdam viri codice manu exarato haec verba deprehendi: *remedium hoc indemnitis vocatur, quo arrepto heredis patrimonium spretum esse censetur, et melior facta conditio creditorum heredis.* Sed respexerat ille ad § fin. l. 3 *π. de separation.* neque placet regu stare, quae WISSEN BACHIVS eam in rem prodidit, nos reiecmus § 3. Quare si dicendum quod res est, indemnitas hoc loco non ita accipitur, ut quis restituat, sed ita plane ne sentiat damnum, sensu negante; remedium autem, sine illud cautionem dixeris, immunem eundem prae stabit metu. Cui explicationi plane conuenit, quod Imperatores DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS in l. 6 de *hered. action.* et l. 7 C. h. t. viii eidemque DOMNO rescripserunt. In Pandectis eiusmodi geminationes reperiuntur plures, ut memorem vnam, in l. 38 § 4 et pr. l. 93 de legat. Ill in Codice miror, quem repetita cura edidit IVSTINIANVS. Neque hoc rimari possum, cur vnius eiusdemque constitutio nis altero loco plura; pauciora altero proponantur.

tur. Si quid eiusmodi contigit in Pandectis, ratio subest, quod cum veteribus iurisconsultis responsa sua et tractatus quoque secundum edicti perpetui ordinem digerere mos esset, diligenterissimi scilicet antecessores iuris IVSTINIANI architecti in tanta operis breuitate ne responso quidem vel tractatu quamvis digesto nos voluerunt fraudare. Habeat PARDVLFVS PRATE-
IVS, quo delicietur: nos ex vtroque vnius te-
noris rescripto, iam ad finem properantes, ea
tantum verba, quae ad rem nostram pertinent,
excerpemus. Sunt autem l. 6 tit. de hered.
actionibus. haec sequentia, *et si non soluendo con-*
stituti probentur, postulata separatione, NVL-
LVM ei DAMNVM Praeses prouinciae fieri PA-
TIETVR; Ex altera vero quae in tit. de bon. au-
*ctorit. iud. numero est septima, haec nostra faci-
mus: sin autem coheredes soluendo non sint, sepa-*
ratione postulata, NVLLVM ei DAMNVM (omisit
Praesidem TRIBONIANVS) fieri PATIATVR. Intel-
ligentibus verbo opus est; ceteros non curamus.

E P I L O G V S.

Atque cum ita fere haec opera absoluta sit,
quod in quibusdam diuersam ab aliis tenui sen-
tentiam doctrina claris, nequis, id vitio det
mihi, vtique conscientia meae tenuitatis rogo.

Sunt

Sunt in iure opinionum procellae variae, quae non debent contemtum parere pulcherrimi studii, aut in odium eos rapere, qui in facultatis illius scientiae vitae suae quasi tabernaculum constituere indeque cupiunt salutari. Ecquis ignorat, dissensiones eiusmodi plus saepe prodesse, quam obesse, cum eius sint naturae, ut errores detergant, veritatem illustrent. Quodsi pro ingenii modulo non acu tetigi omnia, in quibusdam erravi, omisi, praeterii alia, quae fuerant dicenda, ut facile patiar illa notari, ita si persicant opus me doctiores in sinu gaudebo.

Sed antequam discedam, liceat mihi per modum indicis dicta repetere.

In sectione igitur I ostendimus doctrinæ sedem inter titulos, qui de venditione sollemni agunt bonorum. § 1.

Deinde § 2 docet datum creditoribus defuncti a Praetore suis beneficium, ut sibi habeant bona, quae per aditionem cum patrimonio heredis confusa videntur.

Quod cum interpretatione productum fuerit § 3 singulæ eius causæ enarrantur.

Denegatur autem creditoribus heredis; quanquam, qui hunc spreuerunt, ad eundem reverti non possunt. LEYSERVS aliquique interpretatione abusi notantur.

H Defi-

Definitio subiecta tres constituit ordines beneficio vtentium. Sunt autem, qui vel in debitorem inciderunt, vel quibus contractum cum eo negotium ex priuilegio non nocet, vel ii, quibus factum defuncti non debet nocere.

Quod yberius declarat § 4, vbi de ratione ac aequitate agitur separationis.

Creditoris appellatio hoc in iure latissime accipitur. § 5.

Super caussa olim Praetoris vel Praesidis erat cognitio; hodie decernit iudex in foro defuncti imploratus § 6.

Conditio bonorum non quae fuit mortis tempore, sed quae est cum bona veneunt. Potuit enim heres alienare. Hinc quaedam aduersus MEVIVM et LEYSERVUM monentur § 7.

Tempus beneficii impetrandi iure ciuili est quinquennium ab adita hereditate. § 8.

Caussae, quibus cesseret indicantur; et quid sit heredis fidem sequi.

Interdum illud et hypothecariis utile est ac necessarium. § 9.

Neque usus eiusdem sublatus censeri debet inuenito repertorio. Ex ipsa l. vlt. C. de iure deliberandi ducitur huius rei argumentum. § 10.

Sectio II continet l. 2 Cod. de bonis auctor. iud.

iud. possid. interpretationem. Est illa GORDIANI nepotis. Reicitur BRVNNEMANNI iteratum iudicium et ostenditur separationem simul cum credito peti posse. Exemplum in Codice geminationis.

* * * * *

PRAENOBLISSIMO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

Gratulaturus Tibi summos, ad quos adspiras, in luce honores, impense laetor de Specimine erudito, quod pro Cathedra proxime defendes. Nihil in eo meum, quod vindicare mihi aut possum aut velim. Usque adeo Tua omnia sunt, ut manuum consertione contendere nolim. Quod dum publice profiteor, non solum probbo conatus, sed etiam palam laudo atque placuisse mihi et nunc placere opusculum tuum declaro. Praefidium, quod rogasti, denegasse vel ipse piaculo duxisse, qui totus in hoc sum, ut quotquot ex Patria tua nos accedunt, non habeant, de quo reduces facti conquerantur. Quos in Iurisprudentiae studio fecisti progressius, Viris summis atque celeberrimis, qui Almam VIADRINAM atque GEORGIAM AVGVSTAM doctrina illustrant, Honores vero in Iure Summos, qui me Promoto-

H 2

tore



tore proxime in TE conferentur, NOSTRIS MVSIS debes, quae, vti omnes, quotquot litterarum studiis apud nos vacant, etiam sinu fouent; ita his etiam, qui in exteris Academiis THEMIDIS existente cultores strenui, condigna solent conferre laborum praemia. Quod ergo facere constitutum erat, TIBI, Praenobilissime Candidate, quem hactenus in Auditorum numero me habuisse gaudeo, Lauream Doctoralem ex animo gratulor, eam conficiens votorum summam, vt Summo Numine fauente vitam agas ex omni parte beatam et habeas de quo laeteris ad feros annos. Dabam Marburgi Cattorum pridie Calendarum Aprilis Anno MDCCCLXX.

CORRIGENDA.

Pag. 8 lin. 21 pro *completi*, lege *comprehendi*

- 12 lin. 3 inter operas quaedam verba exciderunt, quae ita sunt restituenda: Quod cum aperte probet VLPIANVS l. 1 n. h. t. tum hereditariis ille adeo ex magna causa permittit, vt ad personam spreti heredis reuertantur: Ac valde suavis est WISSENBACHIVS, qui hac in re in contrarium adducat — eiusd. lin. 15 *de quo deinceps dicturi sumus*, lege, de quo nunc non vacat dicere
- 16 lin. 1 *beneficiorum* l. *beneficio*
- 24 l. vlt. ea *sententia*, l. ex *sententia*.
- 33 lin. 7 *minime vero*, adde id concedit aequitas.
- 34 lin. 7 *facile cuique*, dele *et* *cuique*
- 35 lin. 9 *involuntarius*, l. *voluntarius*
- 36 lin. 5 *nautae bona*, l. *nautae res*
- 40 lin. 15 *reliquisse* l. *reliquisset*
- 43 lin. 9 l. *interuenientis iuri*
- 50 lin. vit. dele, *ipfis*

Marburg, Diss., 1769-70

ULB Halle
005 359 856

3



G.37. num. 41. Bl. 42.

15

20

B.I.G.



REMEDIUM INDEMNITATIS

SEPARATIO

AD L. 2 COD. DE BON.

AVCT. IVD. POSSID.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPE
ET DOMINO

D N. F R I D E R I C O II

HASSIAE LANDGRAVIO RELIQA

PRAESIDE

AEMIL. LVD. HOMBERGK ZV VACH

IVR. DOCT. ET PROF. ORDIN. SERENISSIMIS HASSIAE LANDGRAVIS
IN IUDICIO AVLICO A CONSILIIS H. T. PROMOTORE

VT ADITVM SIBI

AD SVMLOS IN VTROQVE IVRE HONORES

APERIRET

PUBLICO ACADEMIAE PROCERVUM
EXAMINI SVBIECIT

AD D. V APRILIS CCCLXX

AVCTOR

DIONYSIVS RATIEN

BREMA - SAXO.

MARBVRGI CATTORVM
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA VNIVERS. ACAD. MÜLLERIANA.

